


BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich


XII 3414

Edictum
Ces. Maj: ad Ordines Regni
Polonie
1576.

1848

VIII. H. 40¹⁰/.







EDICTVM CAESA-
REÆ MAIESTATIS AD
ORDINES ET STATVS REGNI
Poloniæ & Magni ducatus Lithuaniae, de compo-
nenda & constituenda Repub. studijs par-
tium diuersarum commota
atq; turbata.



Anno,

M. D. LXXVI.

1112

C

MA X I M I L I A N V S
secundus, dñina fauente clementia
Electus Romanorum Imperator
semper Augustus, ac Electus Rex
Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniae,
Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samo-
gitiae, Kiouiæ, Volhiniæ, Podlachiae, Liuoniæ, &c.
Dominus &c. Reuerendissimis, Reuerendis, Illus-
tribus, Spectabilibus, Magnificis, Generosis,
Nobilibus, famatis, Archiepiscopis, Episcopis,
Palatinis, Castellanis, Officialibus, Capitaneis,
dignitarijs, equitibus, Ciuitatum Proconsulibus,
communitatibus, ac omnibus alijs Regni nostri Po-
loniæ, & Magni Ducatus Lithuaniae, statibus, sin-
cerè ac fidelibus nobis dilectis, Salutem & gratiam
nostram Regiam ac omne bonum. Reuerendissimi,
Reuerendi, Illustres, Spectabiles, Magnifici, Gene-
rosi, Nobiles ac famati sincerè ac fideles dilecti.
Quum superioribus annis, Serenissimi quondam
Principis, Domini SIGISMUNDI AVGV-
STI, Regis Poloniæ &c. obitu, res Poloniæ ac
Magni Ducatus Lithuaniae, ad Interregnum de-
ductæ, ac postmodum Serenitatis suæ successore, Seren-
issimo Principe, Domino HENRICO, nunc
Franciæ Rege Christianissimo, in suum istud hære-
ditarium.



XVI. Qu. 3413

ditarium regnum reuerso, denuo eò redactæ essent,
vt eiusdem incliti Poloniæ regni, ac Magni Duca-
tus Lithuaniae Ordines ac noui Regis Electionem
sibi legitimè transeundum censuerint: Nos tam pri-
mi, quā secundi interregni tempore, haud vlla
ambitione, vel immoderata regnandi cupiditate,
à qua longissimè semper abfuimus, neç priuati ali-
cuīus commodi causa, sed ipsius potius Poloniæ &
Lithuaniae, totiusq; Reipub. Christianæ bonum,
quietem & tranquillitatem iuuandi studio ad reg-
num istud animum adiecimus. Videbamus enim,
quantum vniversæ Christianitatis interesset, non
solum amicitiam illam bonanq; vicinitatem, quæ
illis eousq; cum Regnis & Dominijs nostris inter-
cessit, totq; iam seculis coaluit, ac magno subdito-
rum commodo culta fuit, conseruari, sed utrāq; Reg-
na & Dominia, vtī vicina, ita Christianæ fidei hosti-
bus æquè exposita, nouo etiam eoq; firmissimo vi-
culo sibi inuicem iungi. Hincq; factum est, vt utroq;
quo de rege eligendo agebatur, tempore, Serenissi-
mum ERNESTVM, Archiducem Austriz &c.
Filium nostrum charissimum, vt cuius Electione
Regno isti ac Reipu. Christianæ optimè consultum
fore nobis persuasum esset, Regni ac Magni Duca-
tus Lithuaniae ordinibus proponere voluerimus.

A 2

Et

Et quamvis Dilectionem suam multis grauissimis de
caulis nostrae personæ præferendam censuerimus,
existimauimus tamen, quod si res eo deueniret, vt
ordines & status nostri potius, quam filij rationem
haberent, nos nec tali casu reipublicæ deesse posse.
Cum igitur diuina prouidentia secutum sit, vt nos
superiore mense Decembri in Regem Poloniæ ac
Magnum Ducem Lithuaniae ritè ac legitime electi,
ac solenni more per eos, ad quos de Iure & consuetu-
dine pertinet, nominati publiceque renunciati simus,
equidē nihil magis in votis habuimus, quam ut huīus
modi Electione per eiusdem regni & Magni Duca-
tus. Oratores nobis denuntiata, id, quod ad capes-
sanda delata nobis Regni gubernacula nostrarum
erat partium, quamprimum perageremus. Verum
cum nonnullos Regni ordines, suis rationibus du-
ctos, ad contrariam nostræ electionem progressos es-
se intelligeremus, ab eo, quo primum ad negotiū huīus
electiōnē nos accessisse ostendimus, publici boni
& tranquillitatis studio haud alienum duximus, vt
primo omnium eas rationes & vias iniремus, quibus
res ad concordiam reduci posset. Adeoque nihil in-
tentatum reliquimus, quod eō pertinere iudicauis-
mus. Nā nō modo Vayuodam Transsyluaniae, po-
sit is ei diligenter ab oculis difficultatib. illis, periculis
atque

atque calamitatibus, quæ alioqui expectandæ fo-
rent, tam per literas, quām specialem nuncium, à
Regnī minus legitimè sibi delati acceptatione de-
hortati sumus, nobis sic persuasum habentes; quod
cum in Varsouienib[us] Comitij, vterq[ue] eius Orator
ordinis & status cohortati essent, vt nobis ac Do-
mū nostræ Austriacæ primum locū tribuerent, eo-
rum memor nostris monitis minus difficulter locum
daturus esset: Verumetiam ad indicum ab ihs, qui à
nostra legitima Electione dissentiunt, Andreouien.
Conuentum præcipue authoritatis Oratores desti-
nauimus, qui mitigatis illorum animis ad saniora
consilia amplectenda ipsos inducerent. Tātum verò
absuit, vt alterutro in loco quicquam profecerimus,
vt nostri etiam Oratores Andreouiae non ante ad-
missi auditiq[ue], quām ihs omnibus quorum causa illi
ibidem conuenerant, constitutis, denum verò nullo
alio, quām tali cum responso, quod Legatos ad nos
missuri essent, recedere coacti fuerint, cum tamen
nostri instituti esset, talia consilia proponere, qui-
bus & publico Regnī, ac totius Reipub. Christia-
næ bono & quieti haud dubiè optime consultum
fuisset. Ex quibus etsi satis colligi potuerit, parum
spei reliquum esse, rem eò deducendi, quò nos semper
spectauimus: Nihilominus tamen nec tunc nostrum


in Poloniā aduentum maturare, sed ne vlla dissensi-
tientibus eiusdem Reipub. Ciuibus in sua viscera
fieriendi occasio à nobis præberetur, quin potius
concordiæ ineundæ tanto commodius vacare pos-
sent, pro nostra in Polonia regnum & rempub. pie-
tate, ac benigna integerrimaq; affectione, eundem
aduentum nostrum differre, quā festinatione aliqua
dissentientiū animos magis exacerbare voluimus: ea
præsertim spe, fore, vt alio quopiam in loco idonea
aliqua, ac à dignitate nostra haud aliena concordiæ
ratio iniretur. Quoniam verò hactenus non is, quem
expectauimus, secutus est affectus, sed generalis ad
nonam diem mensis proximiè venturi Varsouiam
indictus est Conuentus, Nos et si h̄s peragendis, quæ
ad nostri legitimè quæsiti Iuris confirmationem
pertinerent, diutius deesse noluimus, adeoq; hesterna
die, quod faustum, ac tam Poloniæ Regno, quām
vniversæ Reipub. Christianæ salutare sit, oblatum
nobis ab eiusdem Regni & Magni Ducatus Lith-
uaniae ordinibus Iuramentum præstítimus, simulq;
privilegiis ea omnia, quæ à nobis requírebantur,
confirmauimus, & approbauimus, ac demum Electi-
onis Decretum in nomine DEI altissimi suscepimus:
Tamen cum etiamnum nihil magis cupiamus, quām
Regni istius Magni Ducatus dignitatī & rationi-
bus


bus, simulq; vniuersæ Reipub. Christianæ quieti &
tranquillitatí consultum esse, idq; tantò maiori desiderio,
quò magis nobis ob oculos versatur ruina &
interitus, ex intestina Ciuium dissensione expectan-
dus: cum illa, sicut omnibus rebus publicis semper
fuit exitiosa, ita Poloniæ quoq; Regno alium euene-
tum non videatur esse allatura, nec nunc aduentum
nostrū accelerare, sed Regni ordinib; per nostros
ad Varsouien. illum Conuentum, quem (si modo
temporis breuitas patiatur) suum habere progres-
sum in primis cupimus, si minus, continuandum, vel
in aliud tempus prorogandum censemus, destinan-
dos Oratores pacis & concordiae consilia amplecte-
da proponere, ipsisq; permettere decreuimus, ut qui-
buscunq; medijs & rationib; ad sananda Reipub.
vulnera & concordiam ineundā descendere possint.
Salua tamē nostra dignitate, Ita scilicet, ne Batoreus,
nobis longè inferior, nō sine grauissima contumeliae
nota, ac totius Reipub. Christianæ detrimēto & exti-
tio, cuius auertēdi nobis præcipua cura est, nobis pre-
feratur. Et quia serenissimæ infatia ps̄oa huic est annexa
ut Serenissimus filius noster, Archidux ERNE-
STVS eidē infati matrimōio, si ipsis ordinib; regni
Poloniæ ac Magni Ducat⁹, Lithuāiæ visū fuerit, iun-
gatur. Dabimus autē Oratorib; nostris talia mādata,


A 4 qui

quibus ad omnia ea, quae ad pacem & concordiam
vsiam pertinere possunt, ita sint instructi, ut ordi-
nes & status nihil planè desyderaturos confidamus.
Quod si verò pars aduersa his iustis & honestis rati-
onibus & medijs locum dare nolit, sed in sua illa op-
nione persistat, vtique nec nos dignitati & Iuribus
nostris tuendis deesse, nostrosque deserere poterimus.
Imò quamprimum per eos, qui nostras partes sequū-
tur, certiores facti fuerimus, de aduersariorum suo in
proposito pertinacia, in Regnum primo quoque tēpore
properabimus. Neg, omittemus, quin prefatis Oratoribus
nostris inter cetera id negotijs demus, ut quia Regni istius Ma-
gnijs Ducatus, ac omnium utrinq, prouincie Ciuium & subdito-
rum quieti & securitati prospectum cupimus, quo ad presidia,
contra hostium incursiones, necessaria, cum Regni & Magni Du-
catus ordinibus & statibus de ijs deliberent, qua imminētis peri-
culi qualitas postulare videbitur, tum etiam ea, qua Oratores
nostris, quos superioribus mensibus in Moschouiam ablegauimus,
in Regni istius & Magni Ducatus utilitatem egerint arg. effe-
rent, statibus referant. Que cum ad vestrum omnium & singu-
lorū notitiam his nostris literis deducere voluimus, tum verò vos
benignē hortamur & requirimus, ut futuris illis comitijs fre-
quenter adesse, ac negotio ea, qua diximus. ratione ad concor-
diā reducendo omni maiori studio incumbere velitis. In quo
vii vobis ipsis, coniugib. ac liberis vestris, patria deniq, ac uni-
uersae Reipub. Christiana optimè cōsulturi, ita nobis rem lögē gra-
tissimam facturi estis, Regia nostra benignitate quauis occasione
recognoscenda. Datum in Ciuitate nostra Vienna, die Vigesima
quarta mensis Martij. ANNO DOMINI, Millesimo, Quingen-
gentesimo, Septuagesimo sexto. Imperij nostri decimo quarto,
& Regni Polonia primo. Maximilianus.









100